

**CENTRE FOR MEDIEVAL STUDIES
UNIVERSITY OF TORONTO**

Ph.D. Level Medieval Latin Examination

April 14, 1993

Translate **ALL** PASSAGES. The examination has been set for two hours, but you may take an extra hour if you wish. Each question will be given equal weight in the final assessment. The use of dictionaries is **NOT** permitted. Please write on alternate lines, on one side of the paper only. **DO NOT USE PENCIL.**

1. Manual Labour for Urban Monks

Videntes apostoli et alii patres antiqui, et praecipue reverendus pater noster beatus Benedictus, quod otiositas inimica est animae, sicut ipse dicit in regula sua, ipsi propriis manibus laboraverunt, et religiosis viris opera manuum exercere magnopere praeceperunt. Ideo nos eorum vestigiis inhaerentes firmiter ordinamus, quod fratres nostri conventus de cetero, secundum quod regula praecipit, studeant propriis manibus laborare. Et hoc dicimus tam in parvis monasteriis, quam in magnis. Tunc enim vere monachi sunt, si otiosi non maneant, sicut in regula continetur. Sed ne aliquis de dispositione locorum causari possit dicens, tale monasterium non esse apertum ad opera manuum exercenda, quia situm est in civitate, in aliquo castro vel villa, propterea constituimus, quod in illis monasteriis, quae secundum dispositionem locorum aperta sunt ad exteriora opera, ea exercere non postponant. In illis vero domibus, quae apertae sunt ad exteriora opera manuum, interiora opera facere non obmittant; verbi gratia omne opus, quod in claustro vel intra officinas licitas monasterii fratres honeste et licite possunt facere, non recusent.

2. On the Aristotelian philosophers

Peripatheticorum hinc orta est secta, que in cognitione ueri summum bonum uite humane esse constituit. Omnium ergo rerum naturas scrutati sunt, ut scirent quid in omnibus rebus fugiendum tanquam malum, quid contemnendum tanquam non bonum, quid petendum ut simpliciter bonum, quid preferendum ut maius bonum, quid ex casu boni nomen sortiatur aut mali. Nate sunt ergo due partes philosophie, naturalis et moralis, que aliis nominibus ethica et phisica appellantur. Sed quia per imperitiam disserendi multa inconuenientia colligebant, sicuti Epicurus, qui ex athomis et inani mundum sine auctore Deo constituit, et Stoici, qui materiam Deo fingeant coeternam, et omnia peccata equalia; necesse fuit inuestigari et promulgari scientiam que discretionem faceret uocum et intellectuum et fallaciarum nubeculas dissiparet. Et hic quidem, sicut Boetius in commento secundo super Porphyrium asserit, est ortus logice discipline. Oportuit enim esse scientiam que uerum a falso discerneret et doceret que ratiocinatio ueram teneat semitam disputandi.

3. Gregory I to the archbishop of Arles

Arelatensi quoque Archipraesuli Aetherio, ut Augustino ejusque sociis Christi Legatis in Britanniam necessaria solatia provideret, ita scripsit, secundum nomen suum omnibus vigilans, Gregorius:

Reuerentissimo et sanctissimo fratri Aetherio Coepiscopo Gregorius servus servorum Dei. Licet apud Sacerdotes, habentes Deo placitam caritatem, religiosi viri nullius commendatione indigeant; quia tamen aptum scribendi se tempus ingessit, Fraternitati vestrae nostra mittere scripta curavimus, insinuantes latorem praesentium Augustinum, servum Dei, de cuius certi sumus studio, cum aliis servis Dei illuc nos pro utilitate animarum auxiliante Deo direxisse: quem necesse est ut Sacerdotali studio Sanctitas vestra adjuvet, et sua ei solatia praebere festinet. Cui etiam ut promptiores ad suffragandum possitis existere, causam vobis injunximus subtiliter indicare; scientes quod ea cognita, tota vos propter Deum devotione ad solatiandum, quia et res exigit, commodetis. Candidum praeterea Presbyterum, communem filium, quem ad gubernationem patrimonioli Ecclesiae nostrae transmisimus, Caritati vestrae in omnibus commendamus. Deus te incolumem custodiat, Reverentissime Frater.

4. Benedict to the Posthumous Rescue

Operae pretium reor ea quae isto in anno Dominus per beatum Benedictum in Galliis operari dignatus est, ad posterorum memoriam et aedificationem annectere. Quidam namque vir potentissimus Gallorum gente progenitus tantis se ab ipsa infantia execraret flagitiis, ut nulla pars ejus corporis proprio vacaret a vitio. Hic ad mortem veniens, convocatis cujusdam coenobii fratribus, monachicum habitum sibi tribui flagitabat, mox autem ut sacris indutus est vestibus, spiritum reddidit. Cuidam vero Dei servo juxta manenti Dominus ea quae circa defuncti animam agebantur, ostendere dignatus est. Nam statim ut de corpore exiit, terribilis turba demonum cum igneis illam ligantes catenis ad tartarea conarentur ferre incendia, beatissimus pater Benedictus pastoralem manu deferens virgam in medium astitit. At vero hostes praedam se perdere cognoscentes: "Quod a nostris jam diutissime manibus Benedicte abstuleris animas nosti; hunc vero qui nunquam aliquid boni gessit, injuste agis si a nostris manibus auferre conaris." Et sanctus: " Ne vobis injustitiam forte facere videar, ejus facta examine, et si vestrorum operum, postquam meum accepit habitum, aliquatenus fuit conscius, vester permaneat." Tunc malignorum illud collegium victum se rationabiliter sentiens, tenues per auras evanuit.